


~~11. Dez. 1954~~



XVII



17.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
INFOECUNDITATE
CORPORIS OB FOECUNDI-
TATEM ANIMI IN FOEMINIS,
Von
Der Unfruchtbarkeit Gelehrter Weibes - Personen;

Quam.

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medica,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Ä S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-

SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXLIII. D. APRIL.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

RESPONDENS

CARL GOTTFRIED RICHTER,

NOBILIS SCHEMNICIO - HUNGARUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGRÆ



DISSESTITIO INAGURATIS MEDICI

IN HOC CUNIDIATATE
CORPORIS OB FORCUNDI
MIXTA HOMINIS

DE TITULIS ET CAPITIBUS QUITA
DE TITULIS ET CAPITIBUS QUITA

IN VITAM RUGIA RERIGIANA

EX ALEXANDRI

DE MICHAELI ALBERTI

SACRA TALIS DEDICATA AVICOLA ET CONVENTI MAGISTER

CONVENTUS 1555 TA 1555 TALICE PROL

GRACIAS QVAT SPICATISSIMO

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

CARL GOTTFRIED RÖHRLER

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

PROSPERITATE QVAT SPICATISSIMO

V I R O
I L L V S T R I C O N S U L T I S S I M O
A T Q V E
E X P E R I E N T I S S I M O
D O M I N O
D A V I D I S A M V E L I
M A D A I ,

H U N G A R I Æ N O B I L I , S E R E N I S S I M I P R I N -
C I P I S A N H A L T I N O - C O T H O N I E N S I S C O N S I L I A R I O
A U L I C O S P E C T A T I S S I M O , A R C H I A T R O P R I -
M A R I O , M E D I C I N Æ D O C T O R I C E -
L E B E R R I M O ,

F R A T R I

O M N I H O N O R I S E T A M O R I S C U L T U

P R O S E Q V E N D O

D . D . D .



VIR ILLISTRIS CONSULTISSIME,
ATQVE EXPERIENTISSIME,

FRATER OMNI HONORIS ET AMORIS
CULTU PROSEQVENDE,



Quantopere generosa
TUA frons hoc quod
quod est sinceri animi
recusaverit monumentum non me qui-
dem latet: attamen quotidie amicissimi
FRATERNI amoris cumulatis indicis,
qua fronte aut quo quæso colore, quem
TIBI debeo gratisimum animum ul-
tro pectore obstrictissimo recondere
po-

potuerim? Veneranda antiquitas, quæ
invenit inventa medica tabulis ceratis
Aesculapii templo adfixis, nil significa-
vit aliud, quam quod ea, quæ recte di-
vina pronunciavit, sint in Deorum me-
moriā, pro favore eorum, simul & san-
ctissimis mōenibus recludenda. O egre-
gium ergo grati animi exemplar! Quo
pensitato, quum primitiis his studiorum
TU idem FRATER OMNI HONO-
RIS ET AMORIS CULTU PRO-
SEQVENDE auspicante DEO nun-
quam favere desisti, nonne igitur hæc
ipsa optimo iure Nomini sunt adscri-
benda TUO? Sine igitur pietati locum

ac



ac permitte, ut hac quæque est occasio-
ne, quæ obstrictissimus Fraternus exi-
git cultus palam declarare; sicque ad-
precando TIBI Nestoreos annos, pri-
mitias has Nominis TUO consecrare
mihi non illicitum sit. Ceterum vale
nec favere illi, nec amare eum desine
qui TIBI semper est & erit,

VIR ILLUSTRIS, CONSULTISSIME,
ATQVE EXPERIENTISSIME,

FRATER OMNI HONORIS ET AMORIS
CULTU PROSECVENDE,

Frater deditissimus

C. G. R I C H T E R.





PROOEMIUM.



enefica utique, liberalis atque frugalis Natura rerum in placido & æquo suo ordine, divina jubente & dirigente clementia existit, ut cornu copiæ donorum & bonorum suorum omnibus benigno influxu aperiat: ideo omnia subjecta naturalia, viva æque ac alia certis viribus & facultatibus prædita, certis etiam usibus & applicationibus destinata sunt: imprimis autem inter alias affectiones fœcunditas naturalis annotari & celebrari meretur: quare HUGO testatur: *Natura est vis quædam creatrix & potentia divinitus rebus insita, alia ex aliis in suo genere producens.* Haud enim causa illa, quæ natura dicitur, otiosa, sed exquisite assidua & negotiosa est, modo quoad vires suas & modos atque ordines operandi non pervertatur & seducatur. Maxime autem illa admodum frugifera &

A 2 fœcun-

fœcunda salutatur: ideo principium nativitatis, generationis atque ortus vocatur, uti THOMAS Part. 1. qu. 29. art. 1. dicit, quod *natura a nascendo* prædicitur & derivetur, quia *ea nasci facit omnia*. Facile itaque patescit, vim multiplicativam a creatore, diversis subjectis, præcipue vivis, sive ita dictis animatis inditam esse, animalibus videlicet sub ordinato connubio & conjugio, vegetabilibus itidem per eandem inhærentem facultatem: sicut attentione dignus est sapientissimus ille ordo, quem benignissimus Creator constituit & fundavit, ut creata animalia speciebus suis viva congregaverit, & Eam ad Adamum duxerit, & ita socialitatem, teconomiam atque mutuum adjutorium instituerit, & dein mandatum multiplicationis, aut propagationis naturalis ad perfectionem creationis & ordinis divini ediderit; Quare facultas fertilitatis & fœcunditatis, statum naturalem firmum, felicem, integrum, opulentum, atque omnibus modis beatum complectitur: hinc Patriarcha Jacobus inter alias benedictionis species, etiam uberum & uteri nomen exprimit: nec desunt in sacra & profana historia testimonia, quod proliferæ gentes atque familæ pro beatis & fortunatis habitæ fuerint: sicut contra uteri occlusio pro singulari juicio divino & ignominia estimabatur: & dum Rachel a Jacobo petiit, ut liberos ipsi conciliaret, is respondit iratus, quasi vero ego pro Deo sim, qui prohibuit a te fructum ventris. Quam principalis hæc naturæ qualitas est, tam perniciosa, fastidiosa & adversa est infœcunditas & sterilitas, ut propterea omnia

omnia subiecta, conamina & negotia fructu vero, bono & salubri destituta atque vacua, vulgo sterilia dicantur: hinc sterile caput, steriles manus, sterile somum, sterilis labor, sterile pectus &c. vulgo indicari & accusari solent; sub qua denotatione eximius naturae defectus propalatur: quemadmodum illi, qui futilia & inutilia agunt, sterilia tractare dicuntur. In hac itaque sterilitate magna haeret imperfectio, quæ qualitas si feminis tribuitur, eximum vitium naturale comprehendit; ob id in populo Israelitico æque ac inter ethnicas gentes sterilitas in gignendo ignominiosa fuit, (*conf. E.R. FRANC. Trauer-Saal Pars II. n. 4. p. 88.*) juxta versiculum: *Conjugium sine prole, est quasi dies sine Sole*, quasi singulari divino iudicio talis persona hac principali naturali virtute privata, aut irata natura hac dignissima facultate indigna reddita sit. Haec qualitates etiam ad animi facultates referri solent, ideo homines facile & cito bonas cogitationes, utiles inventiones, sobrias dijudicaciones aliasque dignas mentis operationes preferentes & prompte formantes, secundo ingenio exornati & prædicti esse dicuntur: unde generatim subiecta, quæ cito, saepè, efficaciter, prompte aliquid fructuosum formare, producere & generare possunt, aliis debilioribus & segnioribus præferuntur. Inde porro facile liquet, quod sterilitas animi & corporis, vitium naturale sit, & consideratu dignum defectum aut memorabilem imperfectionem denotet: utraque variis modis procurari & diversis causis provocari potest: minime enim ita invicta est natura, ut *Cicero V. Tuscul.*

MS 121

A 3

qu.

qu. 27. asseveravit, dum post lapsum hominis non quidem quoad essentiam, attamen quoad vires & operationes suas admodum mutabilis & in multos errores atque n̄evos prona existit. Et quamvis facultas naturæ humanæ fragile & corruptibile suum corpus conservans, ac sanitatem atque integratatem sui domicilii formans, eximia sit, tamen altera qualitas, qua suæ specie novum individuum atque prosapiam gignit, indeque naturalem suam frēcunditatem prodit, dignior sane atque nobilior existit. Quam abscondita autem porro hæc vis multiplicativa est, tam attenta mente divina illa directio in hac frugifera qualitate cooperans considerari meretur. Merito itaque Benedictionem Dei in hoc frēcunditatis negotio pii viri concelebrant, ita enim Magnus quidam Theologus ait in der Kirchen-Postill die Crucis inventæ p. n. 1242. daß ein Weib ein Kind træget, hat sie von den Seegen, den Gott sprach über den Menschen Genesis, da ihnen Gott einen solchen Wunsch und solch Gut gab, daß sie wachsen und sich mehrern sollen cap. I, 28. In Kraft des Wortes gehets zu, wann das nicht wäre, so wäre keine Kraft da, also, daß das Vermögen alles kommt aus den Wort; sonst wann alle Menschen zusammen thäten, würden sie niemermehr ein Kind zu bringen; Gottes Wort macht allein Kinder: & hæc firmissima veritas multis aliis testimoniosis confirmari potest. Quare sola natura humana non sufficit, quo hanc facultatem in actum & usum ducat: Verbum illud Majesticum Crescite & multiplicamini in hoc negotio potentissimum & efficacissimum est; Naturalia & materialia media hanc facultatem,

tatem, ubi deest, largiri haud possunt: quamvis etiam divino mandato mulieri impositum sit cum dolore parere, insuper suis animi viribus, imprimis imaginatione magnam vim habeat in generationis negotium, ad fecunditatis facultatem augendam, minuendam, impediendam, mutandam, sufflaminandam, ut propterea quæstio mota fuerit, utrum foemina absque mare concipere & generare possit? *conf. Casp.*

R E J E S. *Camp. Elys. juc. qu. 45.* **Casp̄.** *BR A V O Resol.*
Med. Part. i. disp. X. resol. 5. **S I N I B A L D U S** *Geneanthr.*
Lib. I. tr. 3. c. 6. p. 54. ideo hanc opinionem **G A L E N U S**
absurdam esse declaravit, quod videlicet foemina si-
ne mare generare queat: hinc nonnulli illam histo-
riam de *puero ex imaginatione nato*, quam **B A R T H O-**
L I N U S *Cent. VI. Histor. 61. & Cent. 3. Ep. 83.* recenset,
pro fabula habent, *conf. Ep. Guido P A T Y N. Doct. Pa-*
ris ad Bartholinum. PAULLINI Zeitfürzende Lust *P. 1.*
obs. 85. p. 216. **E r a s m . F R A N C I S C I** lustige Schaubühne
P. 2. p. 121. tamen almus Creator ad marem & foemi-
nam dixit, crescite & multiplicamini: ut ut etiam
Deus omnipotens ad solum Jacobum dixerit Genes.
35. v. 10. propagato genus tuum multipliciter, nihilo
tamen secius adhuc ille duas uxores & tot vicarias u-
xorū ancillas habuit: ob id jocose differit idem
Theologus in Scripto Schem Hamphoras: Es sollte
ein gar seltsames Wesen werden, wenn unsere Töchter,
Jungfrauen und Wirtwen, wollen uns das Haß voll Kin-
der sezen, und sagen, sie hätten an Schnee geleckt und hät-
ten sonst keinen andern Vater. O! nein, man leckt die Kin-
der nicht an Schnee. Moses sagt Genes. I. es gehöre ein
Männ-

Männlein und Fräulein dazu, Gott wolt auch den Seegen nicht geben zur Leibesfrucht, bis er sie beyde geschaffen und zusammen gegeben hatte. Præter ordinem hunc divinitus institutum & celestem benedictionem, quippe principalissimam causam Fœcunditatis humanæ, plures alia secundariæ annotari & conciliari merentur, quæ passim jam a medicis indicatae sunt. Nobis præsenti opella atque Inaugurali tractatione placuit opposito respectu Generationis negotium quoad specialem quandam causam, altioris indaginis, paululum dijudicare & INFOECUNDITATEM CORPORIS OB FOECUNDITATEM ANIMI IN FOEMINIS, quantum ratio diætitat, & observatio comprobat, annotare & explicare. Quod propositum, ut divina gratia prospero successu beer, est quod in ostio hujus tractationis humillime precamur.

§. I.

IN *Sterilitatis* naturalis humanæ indagatione multum laborem omni tempore impenderunt Medici, ut non solum hoc fonticum *vitiū naturale* intimius cognoscant, sed eidem certius & perfectius mederi queant; Quam multæ vero causæ, talem defectum provocantes, communiter quidem recensentur, tamen quædam illarum vel plane non, vel insufficierat attenduntur & allegantur. Argumentum itaque tractationis præsentis circa privationem aut carentiam facultatis naturalis, concipiendi præcipue, proinde etiam *legitime* conservandi, gestandi & pariendi sanum, integrum & vivum fœtum

fœtum versatur, in quo Processu principalis & fundamen-
 talis respectus circa facilem ac firmam conceptionem oc-
 currit ; qua deficiente reliqui connexi sequentes actus
 æque deficiunt : Hunc defectum igitur *infœcunditatem*
 corporis vocamus, quæ *generatim* complectitur *impoten-
 tiā generandi problem* : sed quoniam hic defectus in viris
 æque ac fœminis deprehenditur, ita nostrum propositum
 est, de hac *ineptitudine in fœminis* disserere, & quidem
non singulas illius naturales causas inquirendo, sed uni-
 cam ex omnibus præcipuo studio atque respectu signifi-
 cando & eruendo. Est itaque hæc Infœcunditas corpo-
 ris in fœminis *impotentia naturalis concipiendi, gestandi &
 pariendi legitimo modo fœtum humanum*, quippe qui actus
collectivo sensu intelligendi sunt. Hæc ineptitudo vero
 non confundenda est, cum sic dicta *Frigiditate*, quam am-
 plifice explicat ZACCHIAS *Qu. med. leg. Lib. 3. tit. 1. qu. 5.*
 fœmina enim frigida illa dicitur, quæ in affectu, instinctu
 & actu generandi quoad animum torporem, languorem,
 negligentiam, segnitiem, incuriosam aversionem, quo-
 ad corpus autem in genitalibus partibus nullam vivacem
 applicationem, nec naturalem stimulum, aut carnales ille-
 cebras experitur, quæ tamen si cum mare commercium
 carnale init, concipere aliquando, imo plane parere pot-
 est : hæc autem infœcunditas, de qua nobis sermo est,
 adesse potest in fœmina, quæ quidem cum affectu amoris
 cum marito perfectam copulam carnalem sine ullo defe-
 ctu physico , aut dolore partium perficit, attramen non
 concipit, sed *sterilem* expectationem fovert, cuius *votum*
 proliferum *vanum & vacuum* est : Et quod magis est, ta-
 les fœminæ interdum corpore *comparate* sanæ & *integræ*

B sunt,

sunt, aut tales *videntur*, quæ tamen *infœcundo* fruuntur matrimonio, licet culpa evidens in *maritum* conjici *boud* queat. Hæc infœcunditas porro aliquando *totalis* est, quando tales fœminæ per totam vitam nec concipiunt, nec pariunt; interdum particularis existit, dum vel *raro*, pa-
 rum & *agre* concipiunt, vel sub *graviditate* multas & singulares plane *moleſtias* experiuntur, facile *abortiunt*, fœtum ad *completum* & *legitimum* terminum non gestant, *præ-*
mature, aut valde *difficiliter*, aut *mortuum* plane fœtum pa-
 riunt, atque ita in hoc negotio multis *ataxiis* & detrimen-
 tis obnoxiae sunt: Nec porro de infœcunditate Fœminarum dubia & *equivoca* nobis sermo est, quando ejus cau-
 sa & culpa nec in *marito*, nec *uxore manifesta* redditur; si
talis mulier post *primum* infœcundum matrimonium & obitum *primi* mariti, in *futurum* cum *altero* marito *fœ-*
cundum & *proliferum* experitur conjugium: in quo casu
 antiquiores medici *adversam* qualitatem & *contrarietatem* corporum, temperamenti, humorum, imprimis seminalis
 liquoris & genituræ obscure accusarunt, & fallaci præ-
 sumptione adduxerunt: ubi *infœcunditas* clandestina &
 relativa allegatur: *conf. P. ZACCHIAS Q. M. L. L. 4. tit. n.*
qu. 8. n. 68. sq. Quando vero præsenti themate *Corporis*
infœcunditatem pro objecto tractationis nostræ selegimus,
 tunc intelligimus *impotentiam concipiendi, continendi &*
pariendi fœtum in & cum *corporeis* organis, ad hunc pro-
 cessum *generationis* destinatis ac idoneis: non vero cau-
 sas *corporeas* aut *in corpore* fœminarum indagandas & ac-
 cusandas, ad hanc sterilitatem disponentes, quæ ab ipso
actu & facultate generante discrepant; Hæc infœcundi-
 tas porro vel in *absoluto defectu* & *incapacitate* consistit,
 vel

vel aliquali *difficultate*, offensa, avocamento & *impedimento* nititur, ut huic negotio inhærendi *vires* & circumstan-
tiæ non permittant, nisi *tempestive* hæc *obstacula* remo-
veantur, ut hæc facultas in liberum & *naturalem* ordinem,
quoad hunc processum, progreedi queat: quando vero hæc
vincibilis infecunditas diutius continuat, tunc in talem
habitum *pertinacem* degenerat, qui nullo ulteriori consilio & auxilio corrigi & emendari potest: Unde gene-
ratim liquet, quam clandestina & *irrificata* hæc sic sterili-
tas, quæ *intimiores* radices habet: id quod præmonere
placuit, quando præsenti titulo & argumento aliqualem
lucem affundere placuit.

§. II.

In hanc infecunditatem Fœminarum indagandam plurimum operæ medici omni tempore impenderunt, ut notabilem hunc defectum facilius corrigere & curare possint. Ast si illorum scrutinia perlastramus, communiter causas *materiales*, ad hunc defectum contribuentes, accusarunt, & multiplicita interna & externa *vitia organorum* muliebrium recensuerunt, quæ in *vivis* & *dormientibus* fœminis detecta fuerant: modo *uteri* varias *vitiæ* qualitates, nimis calidam, valde frigidam, nimis humidam, laxam, mollem, debilem, impuram &c. indicarunt: alibi culpam in *genitalem liquorē* conjecterunt, modo in *seminum* *disconvenientiam*. v. P. ZACCH. Lib. 3. tit. 1. qu. 6. n. n. modo nimiam siccitatem, arctitudinem, amplitudinem &c. indicarunt; quam *verbosè* itaque atque effusi in *ratium* causarum commemoratione fuerunt, tam *compendiosæ*, aut plane *obliviosi* in *aliarum* fonticarum causarum indagatione & commemoratione illi medici extiterant,



ut propterea eorum inventis & observationibus semper aliquid addere restet. Nec quidem negandum est, *varias* ad hanc sterilitatem *absconditas* contribuere causas, quae *post mortem* demum *talium* feminarum sub inquisitione & Sectione corporis oculis & cognitioni se submittunt. Sed supersunt tamen *quædam* causæ, quas plurimi *rarius* agnoscent & allegant, quarum notitia tamen multum in matrimonii inœundis & deliberandis juvat; quando multum etiam refert, quo familie de stemmatis sui propagatione *sollicitæ* sint: ita porro hæc facultas generandi inter naturales sic dictas causas etiam *bæreditariae* dispositioni obnoxia est, dum nonnullæ familie *per quam proliferæ* & *fecundæ* deprehenduntur, aliæ autem minus tales: quemadmodum enim aliae facultates mentis, vires corporis, functiones in œconomia sanitatis & vitæ, peculiares operationes, inventiones, ingeniositates, proclivitates, inclinationes &c. vitia & virtutes, functiones animales, vitales, naturales diversis gradibus, modis, ordinibus, directionibus, modificationibus discrepantes *bæreditariae* propagationi obnoxiae sunt, ita etiam hæc facultas *generativa* in sexu sequiori per *bæreditatem* nunc *vigor*, alibi *languori*, modo *facili* & *liberali* progressui, alibi *defectui* submissa est. Idem etiam de *nonnullis* populis constat, quorum *quidam* valde *fecundi*, alii *infæundi* deprehenduntur, in quibus frustra causa in *constitutione corporis* queritur, licet remote interdum *Aeris* intemperies, P. ZACCH. Lib. 3. tit. 1. qu. 1. n. 15. locus, clima, regimen, vitæ genus, diæta eo aliquid conferre videatur. Huc pertinent homines liberis & conjugali socialitati *infensi*, qui *minori* fecunditate instructi esse deprehenduntur, in quibus

bus maxime *morale tedium*, fastidium, invidia, *sollicitudo*,
 avaritia, tenacitas, *moroſtas*, *difſidium* &c. accusatur: *P.*
ZACCH. L. 3. tit. 1. qu. 1. n. 29. Sic homines *extra patriam*
 in *peregrinis locis* viventes, in *novas & exteris* provin-
 cias emigrantes, *novas* colonias erigentes, in exilio &
 captivitate viventes, ob *retrogradam* recordationem pa-
 triæ æque *minus facundi* esse observantur, imprimis si a-
 nimus desiderio in præterita loca & tempora, aut clam
 aut manifeste flagrat: idem etiam valet de familiis aut
coacte, aut cum animi *repugnante* affectu & *differenti* in *incul-*
ta loca delatis, aut aliorum in captivitatem ductis: nec
 silentio prætereunda sunt *coacta* matrimonia, multis *ad-*
versis animi affectibus piperata. Quid *discordia* & *dis-*
sensus animorum in personis conjugatis ad *infecunditatem*
 contribuant, non modo attente observandum est, sed pas-
 sim Medicis comprobatum legitur: ita *ZACCHIAS L. V.*
tit. V. qu. 5. n. 9. 10. inquit: *odium & malevolentia conju-*
gum generationem impedire potest, teste AETIO lib. ult. c. 26.
-- odium impedit conceptionem, amor conciliar genituram
& conceptum: & Lib. 3. tit. 1. qu. 1. n. 29. Generationem im-
 pediunt *similitates & odia inter conjuges*, conf. tit. 2. qu. 8.
n. 31. ita *AETIUS l. c.* inquit, *inviti concubitus inanes ac ste-*
riiles sunt, amor enim genitiram conciliat: hoc referri me-
 retur suffragium *Rod. a CASTRO de Morb. Mul. Lib. 3. c. 2.*
p. 223. Nec desunt testes Medici, qui dum causas sterili-
 tatis recensent, easque in rebus non naturalibus inqui-
 runt, communiter *animi parhematum* mentionem faciunt,
 sicut *Sinnibaldus* imprimis in *Geneantbr. Lib. 6. tr. 2. cap. 1.*
art. 5. p. 614. seq. præ aliis paulo amplius hanc observatio-
 nem tractat: quod videlicet crebra odia, diffidia, multæ

rixæ, indignationes, frequens terror, timor, mœror,
& angor sterilitatem causentur; nec medicis ignota est obser-
vatio, quod crebra *ebrietas* in fœminis sanitatem
mentis & corporis, & per connexionem facultatem ge-
neratricem valde corrumpat, imo plane destruat: *conf. D.*
PRÆSIDIS disp. de Ebrietate fœminarum s. 7. p. 25. Neque
in observatione medica incognitum est, fœminas *turbu-*
lento, *inquieto*, *impetuoso*, *præcipiti*, *impatienti*, mu-
tabili, *moroſo*, inordinato & immoderato animo prædi-
tas, aut *infœcundas* esse, aut ad *sterilitatem* inde valde
præparari. Quæ singulæ cause in hac tractatione sterili-
tatis fœminarum probe attendendæ & conferendæ sunt,
licet hactenus vel parum, vel superficiarie annotatae fue-
rint: suffecerit in observatione & veritate facti innumeris
exemplis confirmatum esse, *animam* suis viribus, mori-
bus, inclinationibus, affectibus, consuetudinibus ma-
gnam potentiam atque *influxum* in *fœcunditatis* & *infœ-*
cunditatis muliebris facultatem habere.

§. III.

Seriem illarum *causarum*, sterilitatem inducentium,
ingrediuntur etiam multæ aut continuae *operoſæ*, intrica-
tæ & *profundæ* cogitationes, quæ animum valde afficiunt,
distrabunt, avocant, aliisque negotiis *implicant*: ideo
MUSITANUS de Morb. Mul. c. 4. in Curatione dicit: *animi*
passiones, ut *ira*, *rixæ*, *tristitia*, *invidia*, *timor* & *profun-*
dae cogitationes *fugienda*; ea namque uterum feriunt, con-
turbant, ejusque *economiam* ito subvertunt, ut *sterileſcat*:
&c. tales profundas cogitationes *SENNERTUS* etiam ac-
cusat *Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 4. c. 2. sub Diæta*: quod ad
sterilitatem disponant; non minus *Ludov. Lobera de AVI-*

LA

IA de Sterilitate Mulierum significat, quod *lucubrationes animi multæ, ac profundæ meditationes, nec non virium mentis fatigations sterilitatem causentur*; p. 182. sic *SAVANORALA in Pr. maj. Tract. 6. c. 21. rubr. 24. p. 273. a.* *accidentia animæ superflua, superfluum gaudium &c.* ad causas sterilitatis referr. Communiter etiam in sterilitatis tractatione medici *intemperiem fœminarum nimis calidam, nimisve frigidam improbare solent, quæ partim ad corpus, partim ad animum extendenda est: quare fœminas nimium libidinis oestro flagrantes, aut in aliis animi affectibus, quamvis non adversis, velut gaudio, hilaritate, appetitu, desiderio, cupiditate æstuantes & excedentes, infœcundæ magis deprehenduntur: ideo etiam medici hujus causæ curatiorem rationem habentes & judiciosam conciliationem instituentes, quoad *mores, inclinationes & affectus animi moderamen præcipiunt & commandant.**

Hæc causa, quæ in *animo* sedem suam habet, & ut plurimum fugitiva contemplatione & superficiaria meditatio ne annoratur & allegatur, quæ tamen altioris indaginis est, quando causæ *manifestæ*, ad *corporis* constitutionem pertinentes, non inveniuntur, permovit nos, ut *hujus infœcunditatis in fœminis fœcunditatem animi causam indicemus & paululum explicemus:* Per hanc *fœcunditatem animi* intelligimus intensiorem, frequentiorem & ardentiorem usum rationis, aut intellectus, aut exercitatiorem operationem mentis in scientiis sublimioribus, alias sexui *sequiori non* usitatis, qua *vires animi, cœteroquin firmiores, potentiores & acutiores* ad *negotia fœcum* magis concernentia, applicare solet: attamen *nonnullarum fœminarum animus interdum ad altiora negotia &*

extre-

extraordinariam mentis culturam & perfectionem spirat, unde fœminæ *sapientes*, & exquisite doctæ prodeunt: in quibus itaque tam fœcundus animus *imperat*, qui non facile officia *vulgaria muliebia* tractat, quæ viliora, ignobilioraque aestimantur, sed potius alia, *viris sapientibus* familiaria magno acumine atque ardore exercere & perficere nituntur: Non quidem hujus loci est *illam* quæstionem ventilare, an illa capacitas mentis & *eruditionis* acquisitione & cultura non cum natura inferiori & *infirmiori* fœminarum *repugnet*, quæ alias *debile organon* vocantur: id brevibus solum asserimus, fœminas non ad verticillum, colum, acum, ollas, linum & lanas tantum natas & destinatas, sed æque *sufficienti mentis* capacitate & *robore* præditas esse, quod plurimæ in negotiis, sexum hunc maxime decentibus, exercent: nihil tamen secius *tales* etiam *animi* dotes & qualitates possident, quibus *scientias sublimiores* tractare & acquirere possunt: nec cum *exclusione* *oliarum* scientiarum & artium addiscendarum de iisdem valet: filia subtilia nebat sub tilia fila: quis adeo *objecas* censeat fœminas, ut singulas membra Societatis netricum caligaram esse arbitretur: cur vulgari dicterio vocantur sorores Evæ; cur plurimæ earum vafræ, imperiosæ, præcipitantes, rixosæ, verbosæ, garrulæ, eloquentes, illecebrosæ, inquietæ &c. sunt: cur plurimæ *agrestium* fœminarum *comparate* prudentiores, quam *mæculi rustici* rudes & trunci sunt: quod enim *obsoletam* illam opinionem concernit, fœminas *humidiorem & frigidorem* naturam corporis possidere, conf. P. ZACCH. Q. M. L. I. tit. I. qu. 6 n. 51. id sub curatiori scrutinio veritati non absolute responderet, ut propterea assertioni *Joannes HUARTE*, Medici Hispani, non subscri-

scribamus; quando in scrurinio ingeniorum c. 21. p. 605. disserit: *famellæ ob rationem frigiditatis humiditatusque sexus sui, profundum aliquod ingenium consequi non possunt*: quare a nonnullis quæstio moverur, unde plurimis fœminarum donum *loquacitatis*, flumina verbosa, facundia dicendi? ut Rhetorissam aut Doctrinam eloquentiæ agere queant! quamvis plurimis illud consilium suppeditandum sit, quod HECTOR & TELEMACHUS dixerunt: *domum adeuntes vestra que sunt curate, telam & colum, ancillas jubete opus facere suum, bellum autem & consilium viris relinque*, aut quod CLAUDIANUS Lib. 1. in Eutrop. cecinist: *tu potes alterius studiis bærere Minervæ, tu telos, non tela pati; tu stamina nosse, tu segnes operam solers urgere pueras: conf. de hac quæstione, an fœminæ non ad virilem prudentiam & intellectus usum pertingere queant*. SAUERBREY de fœminarum eruditione thes. 1. ff. 9. sq. Guiliel. Ignat. SCHÜTZ, JCt. & Cancellarius Fuldensis in libello hujus argumenti peculiari.

§. IV.

Nec etiam argumenti nostri *nervus* postulat fœminarum *doctorum* exempla, que sane non rara sunt, recensere; in quo studio variorum authorum collectiones laudem merentur; pertinent hic Job. Perea Moya, qui eruditione celebres fœminas in Hispania annotavit: accedit TIRAUQUELLUS in LL. Connub. L. XI. gloss. 1. p. 182. sq. & de nobilitate cap. 31. n. 321. p. 196. sq. ubi magnus numerus eruditarum fœminarum allegatur: addimus GUEVARRAM in Horol. Princip. Lib. 2. c. 32. 36. SPANGENBERG in Specul. Nobil. L. 13. c. 6. sq. PASCHIUS in Gynecæo docto, HENDEL & SAUERBREY in disspp. de fœmin. eruditis, SIEGM.

C

v. BIR-

v. BIRCKEN im Ehren-Preiß des Frauenzimmers, MORHOF
in polybistore possim vid. index tit. sceminae doctae, Christ.
Franc. PAULLINI Zeitkürzende erbauliche Lust P. 2. obs. 93.
p. 1097. von gelehrten Frauenzimmer in Deutschland P. 3. obs.
186. p. 119. vom wißigen Weiber-Regiment: id. in Philos.
Geyer-Abend obs. 5. p. 140. ZWINGERUS in Theatr. vit. hum.
Ravissi officin. præter multa alia testimonia, quæ spar-
sim de eruditis scemini diversorum Regnorum tractant:
Hoc ordine autem non indiscretum illas eruditas vocamus,
quæ tantum nonnullarum linguarum exterarum notitia
gaudent, aut in germanica poësi, aut superficiaria & cur-
foria Logico, aut Historia profana aliqualem cognitionem
habent, & memoria magis, quam judicij usum & cultu-
ram possident: in qua scientia facile quidem proficere pos-
sunt, si aliqui perspicacitate & alacritate mentis prædi-
tæ sunt: talem iraque eruditionem in nuce aut compendio
multæ sceminae comparare facilius assequi possunt: nos
contra fundatam, solidam magisque perfectam atque am-
plam, judiciosam & realem, practicis usibus rectius con-
venientem eruditionem intelligimus, quæ majorem cele-
britatem habet, quam altera, quæ in nuda speculatione,
curiositate, & memoria usu consistit, in quam posterio-
rem variæ sceminae sciolæ, nouitatis auidæ, nugaces, am-
bitiosæ & nimiæ confidentiæ præjudicio laborantes, per-
quam inclinant; quæ sibi valde placent sapiuntque, &
meritorum suorum encomia admodum ornant; cum vicissim
exquisitus eruditæ subinde etiam prudentes sint & re aut
opere magis, quam verbosa ostentatione capacitatem su-
am memorabilem & admirabilem comprobent. In hac
classe autem eruditarum sceminarum plurimæ in historia
litte-

litteraria *virgines* fuisse & *extra matrimonium* vixisse, præ-
 terea etiam plurimæ earum non longiorem vitam attigis-
 se, recensentur, de quarum fecunditate tamen judicare
 non ratio permittrit, interim illa pariter *observatio in histo-*
ria naturali attendenda est; quod tales *feminae*, *magna* eru-
 ditione claræ, æque *cirius* moriantur, ac *masculi præma-*
tura eruditione celebres: id interim ad *rationalem* suspi-
 cionem formandam inseruit, si juvenis *celsoris* stemmatis
 virginem in *matrimonium* ducere cogitat, cuius *eximia*
 eruditio inclaruit, non adeo *fecundum* inde conjugium
 expectandum esse, nec exemplum Wendelæ Skytte Ba-
 ronissæ, cuius STIERMANN in *Bibliotheca Suiogothica*
 p. 597. mentionem facit, quea *trium* liberorum *mater* fa-
 eta, sed vicesimo primo ætatis anno e vita discessit, ad
 plurimas reliquias eruditas extendi & referri meretur: &
 si *Luisæ Sergiæ* incomparabilis pudicitia a *Joan. VASÆO*
 in *Chronico Hispanico* cap. 9. laudatur, tamen e contrario
 de *Ludovica Labea* in *Act. Erud. Lips. An. 1735. Octobr.*
 p. 478. testimonium perhibetur, quod *minus* casta fuerit.
 Alias quidem *fecunditas* animi, & bonis scientiis locuple-
 tata mens ex *moralibus* etiam principiis pollutionem cor-
 poris & *incautitatem* abhorrescere & *fugere* discit, cui li-
 bidini naturali mens *sobria* se ægre mancipare solet: hinc
 cultura *intellectus* præparat etiam homines, ne *lascivis* il-
 lecebris velut *bruto* obtemperent, quin rectius attentius
damna inde metuenda scrutentur, atque ita ethnica qua-
 dam & naturali sapientia virium impuritatis mentis & cor-
 poris odio prosequi & quadanterus evitare queant: ve-
 ra iraque atque *sincera* eruditio, quea bona *utilia*, *bonesta*
 & *salutaria* cognoscit, horum acquisitioni & usui etiam

operam dat: & quoniam *puritas* corporis & castitas multum *salubritatem* naturalem & integritatem *moralem* promovet, ideo *ut plurimum* fœminæ eruditæ, secundum reliquam pudicitiam, sexum ornantem, abstinentiæ a *libidine*, imo odio incastiratis student, insuper rectius *fæcunditati* animi operam dant & negotia inferiora & *indigniora* aut nihil æstiment, aut minori cura tractant; unde etiam constat, quod fœminæ *profundius* meditationibus singularibus *theologicis* & simul *mysticis*, inhærentes matrimonium aversentur, idque pro *impuro* statu habeant, indeque in *perversas* opiniones, statui *naturali*, a Summo *Creatore* instituto, *contrarias* delabantur.

§. V.

Ad ipsa *Subjecta* quod attinet, quæ ob *selectam* & eximiam fecunditatē animi, *corpore suo infecunda* redduntur, tunc illa *peculiaribus* animi & corporis qualitatibus prædicta esse deprehenduntur; quoad animum magna cura & *operoso* studio contemplationibus & meditationibus *doctis* indulgent: etenim dum *vires* animi in fœminis *teneriores*, sensibiliores & debiliores, quam in masculis sunt, ideo in illis cultura mentis & scientiarum magis *laboriosa* & difficilis est, ideoque *operosiori* applicatione eruditio nem prosequuntur, ut propterea *aliis* negotiis, ad *sexum* hunc communiter spectantibus, *æquali* tenore & ardore haud incumbere queant, quia plurimis intentus minus est ad singula sensus: quo difficilius & operosius autem in excolendis & addiscendis scientiis desideratos faciunt progressus, eo *pertinacius* & constantius semel suscepturn studium & propositum prosequuntur; quæ qualitates tanto magis *animi vires* afficiunt & reliquo *vigoribus*, *vitali ceconomiae*

nomiae impendendo remoram & obstaculum injiciunt: præter hæc tales eruditioni indulgentes fœminæ multum *sedentariae* vitæ incumbunt, cum alias desidiam magis præ-optant & observant, inde autem varias *sanitatis offensiones* experiuntur; ob id facile & *nimio* sanguine onerantur, & *spissitudine* ejus *morbifica* affliguntur; tales litteratae fœminæ pro reliqua *mentis tenetitudine, sensibilitate & impatientia* facilius in singulis functionibus, ad *vitaliem economiam* spectantibus, sotnicas experiuntur *alterationes*, indeque in *valetudinarium* incident statum, sub quo tanto magis a negotiis *domesticis* ceconomicis & *sexum usitatis* respicientibus abstrahunt, & *speculationibus* atque meditationibus inhærent. Quemadmodum etiam alias *intensiores* mentis operationes & occupationes in sexu *sequiori* ci-tius & *forrius corpus* afficiunt, inque hoc ominosâ mutationes causantur, ita tanto magis *extraordinarium* studium litterarum varias vitam & sanitatem respicientes offensiones provocat. Nec *comparate* infrequenter tales fœminas *personalis* corporis & *sanitatis* alteratio affligit, quam ita *secrete* tolerant, indeque autem ab operibus *domesticis* & ad *sexum* spectantibus *abducuntur*, ut *alii* meditationibus intentæ & attentæ sint, atque ita successive ad *scientiarum* studium atque culturam allicantur. In plurimis autem talibus subjectis *quosi naturalis* est *novitatis* aviditas, sciola *curiositas*, & aliqualis mentis *inquietudo*, contentio & negotiosa atque imperiosa occupatio familiaris, cui retiolo *curiosarum* historiarum, tractationum, controversiarum, inventionum ingeniosarum relationum illaqueantur, & ita clanculum magis magisque ad meditationes & acutas cogitationes invitantur & trahuntur, ut posthac majo-

C 3

rem

rem & laboriosam magis *animi*, quam corporis curam habeant: præterea autem adeo exquisite regulis *dæticis* non obtemperant, nec quoad regimen corporis tam ordinem & tale *moderamen* invenire, feligere & observare sciunt, quale ipsarum curæ & studio litterarum *congruum* & adæquatum est, quin magis ex *præjudicio* nimiae *confidentiæ*, *philovtiæ* & affectatæ suæ πολυμαθείας *sanitati* suæ magis *contrariam* vivendi methodum excogitant & amplectuntur. Præter has indicatas qualitates adhuc in ejusmodi fœminis observantur variæ *turba ordinariarum* excretionum, præcipue *alvinæ*, quæ magis in *defectu* peccat, inde etiam variæ *connexæ* molestiæ affligere solent, quæ frequentem sanitatis *Violationem* causantur: inde porro varia *ventriculi* incommoda, *cardialgia*, *flatulentia*, inappetentia, atonia, bradypepsia, *spasmi*, præterea diversæ *morbosa* *capitis* afflictiones, deinde multiplex *Mensium* *oraxia*, qui in aliquibus *parcius*, in aliis *largius*, in nonnullis *inordinatus* succedunt, oriuntur: unde porro facile *hystericis* pathematibus subjiciuntur: subinde autem vel corpore magis *gracilescent* & emarcescent, vel *cachecticum* habitum induunt, vel admodum *pinguescent*, & cum magna molestia *corpulentiores* redundunt; porro diversam sanguinis intemperiem, quam vulgo *scorbuticam* & *purpuratam* vocant, aquirunt: & sub quolibet tali statu *vacillante*, infirma & instabili sanitate laborant: sub hoc schemate *valedudinario* autem *psalterio* formant, & *poeticæ* arti operam dant, qua *piis* interdum meditationibus vitae humanæ *fragilitatem* & imbecilitatem argute *tristifica* decantant elegia: Quo magis denique sub hoc ardore *proficiendi* in *litteris* *sedentariæ* vitae inhæ.

inhærent, eo plures *morbosas* molestias accersunt, insuperque vires corporis *languidas* reddunt, ut sub continuo *accremento* facultatum mentis, vigor ac *robur* *vitæ* & sanitatis semper *decrescat*, propterea que *citius* stadium *vitæ* naturalis percurrant & *præmatura* morte *vitæ* metam attingant.

§. VI.

Sed ne hæc tantum ex *nuda opinione* & *præsumptione* asserere & tractare videamur, intererit nonnullis *exemplis* hanc observationem probare: Hæc accusata autem & significata *infæcunditas* in *quibusdam* doctis fœminis aut est *absoluta*, aut *relativa*. Constant exempla, quod *nonnullæ* tales fœminæ in matrimonio suo *plane steriles* extiterint, licet non *eminenter* & evidenter *valerudinariae* apparuerint, in quibus causa nec in *manifestam* & sonoricam morbosam dispositionem, nec in *maritum* conjici potest; quæ proinde, quia nec concipiunt, nec pariunt, attamen multum *sedentariæ* *vitæ* deditæ sunt, ac percommode, belle & indulgenter vivunt, ceteroquin *plena* diæta fruuntur, facile corporis *obesitatem* obtinent, id quod aliis fœminis ob alias causas minus fœcundis æque facile accidere potest: deinde quædam talium fœminarum *tardius*, rarius & *inordinarius* *concipiunt*, aut se concepisse nesciæ sunt, & ambitionant, ut & *molestius* & difficilius in utero gerunt, gravitatem *morbosam* & ancipitem patiuntur, facile *abortum* experiuntur, fœtum ad ordinarium & *naturalem* terminum *non* tolerant & gestant, fœtum *mortuum* operoso partu edunt, aut *præcipitato* partu obruuntur, aut *periculosum* partum experiuntur, sicut modo supra & §. I. monitum fuit: quibus qualitatibus, characteribus & effectibus

bus in *talibus* sc̄eminis inf̄secunditas *individualis* manifesta redditur. Nec porro *exempla* desunt, quibus pr̄sente m observationem confirmare possumus, e quibus illa quæ nobis constant brevibus significabimus. Innotuit nobis sc̄emina clara & honesta, docti viri uxor, & doctoris Parentis filia, in disciplinis Logicis, Moralibus, Politicis, Historicis, Heraldicis, Jure Naturæ, & Canonico, ut & Lingua Latina, Gallica & Græca exacte docta, quæ eruditionem vero suam ira prudenter occultavit, ut non nisi urgente necessitate eandem cum magna aliorum approbatione pateficerit; quæ inter alia capacitatis suæ specimina controversiam doctam inter Patrem & maritum super sententia Politica obortam, scripto quodam, recto nomine edito, inscia utraque dissentiente & litigante parte, composuit atque discussit; ejus maritus erat vir sanus, vigorosus & integer, ipsa autem per totum matrimonium multis annis durans, nullorum liberorum mater facta fuit: hæc in celibatu virgo fuit mediocris habitus corporis; posteaquam autem sub matrimonio majori ardore in splendida mariti bibliotheca studia sua exercuit, ipse etiam celebris & doctus maritus strenuam hanc occupationem eruditio crebro discursu aut colloquio magis accendit, tunc contigit, ut feliciores in scientiis fecerit progressus. Alia talis sc̄emina nobilis Senatoris insignis scientiarum & bonarum artium promotoris conjux, exacto judicio instruta, prudens & docta, in Historia Ecclesiastica & Civili, Politica, Genealogia, Studio numismatico & monetario, Antiquitatibus Judaicis, Romanis & Græcis admodum docta, eximio studio diu noctuque lucubrationi & lectioni doctorum Scriptorum operam dans, quæ pariter per to-
rum

tum matrimonium sterilis fuit, utut liberorum amantissima & desideratissima, quæ tamen successive sub tali studiorum cultura valetudinaria redditu fuit, & posteaquam duodecim annis pacificum & tranquillum matrimonium infecundum transegit, denique hectica febre expiravit. Terria fœmina erat monialis virgo, quæ e monasterio fuga se salvavit & ad Evangelicam Ecclesiam transiit, postea a Doctore Medicinæ æque antehac Romano monacho, nunc converso in matrimonium ducta: utræque conjugatae personæ erant optime sanæ, corpore firmæ & robustæ, illa in Theologia Pontificiorum exquisite docta, in Bellarmini & Corn. a Lapide Scriptis versatissima, in Theologia Patristica valde exercitata, deinde etiam in Scriptis Evangelicorum Doctorum apprime instructa: præterea autem in Scriptis PARACELSI, LULLII, GALENI, HELMONTII, in Chymia Paracelsistica & Galenica exacte docta, vexatissimis experimentis dedita, cum marito amplificam medicinam exercens: alchymicorum librorum & processuum æque studiosissima, novis inventis & experimentis impatiensi fervore intenta atque insudans, quæ tamen perpetuo infecunda mansit, licet animo atque corpore a naturali voluptate non abstemia fuerit: Denique quarta accedit docta mulier nobis nota, nobili aulico coniugio juncta, quæ res domesticas & œconomicas administrantibus personis tradidit, diu vero noctuque studiis elegantioribus & cultioribus operam dedit & indies colloquia & conversationes cum eruditis viris coluit, ita enim studiis inescata erat, ut modum amplius servare haud potuerit, unde in talem excessum delapsa est, ut nec quiete amplius dormire, nec commode & sufficienter ingesta

D

con-

concoquere potuerit, sed in medicorum manus incidet, quia Cachexia & lenta febre correpta aliquamdiu studiis se abdicare coacta fuit: curata quamvis nihilo tamen secus infecunda semper mansit; Hæc exempla nostra observatione adducere placuit, qualia alia plura & nobis & attentis observatoribus ita sine dubio cognita erunt, ut præsentis argumenti veritatem ulterius & uberius confirmare queant.

§. VII.

Ordinis ratio nunc postulat, ut *principalem* hujus *infecunditatis* causam, cum reliquis connexis inquiremus, explicemus & applicemus: illa itaque a nobis vocata & accusata fuit *fæcunditas animi*: per quam itaque intelligimus *strenuam*, alacrem, operosam, molestam atque indefessam mentis occupationem cum singulis facultatibus animi ad scientiarum & artium culturam directam, in quo negotio non modo *vires animi* vegetæ, acres, potentes, & ardentes sunt, ein scharfer, hoher, durchdringender und heroischer Verstand, sed & indefessa & flagrans propensio in litterarum studia cum iisdem conjuncta est. Quantum enim in subjectis *masculinis*, ad studia *natis, majusque* animi robur in hac cultura possidentibus, *nimius* ardor, immensa cura, *strenua* applicatio & exercitatio in hac occupazione ad *corporis* infirmitatem & singularum functionum cœnomiæ vitalis enervationem & alterationem conferat, quotidianus usus & attenta observatio comprobatur, id quod etiam alibi passim a D. PRÆSIDE diversis Scriptis indicatum & explicatum est, quod videlicet *præmatura & præcox sapientia* cum *firma* sanitate & longa vita *baut* consentiat, aut ut dicere liceat, minus *compatibilis* sit. Quemadmodum etiam

magna

magna eruditio infeminis rorior, insuper sensibilior, flexilior, variisque arduis & difficultibus circumstantiis & qualitatibus magis obnoxius habitus est, ita illa in corporis cœconomia variis offensis, alterationibus & enervationibus ansam præbere & potest & solet; sicut porro facultas concipiendi, gestandi, tolerandi, custodiendi, alendi & pariendi sc̄etum non modo sonica & sensibilis, sed etiam variis animi motibus & mutationibus subjecta est, ita intensior scientiarum cultura generationis negotium admodum labefactare & debilitare potest & solet. Proinde autem multa exempla ex abundantí confirmant, quod strenuæ applicationes animi ad certa objecta, meditationes, curas, inventiones, quas vulgo schwehre und harte Kopf- Arbeit, nominant, varias functiones, ad vitæ naturalis processum spectantes, pro individuorum discrepantia cohabant, turbent, negligant & impedian, velut concoctionem, puri chyli præparationem, temperatam & convenientem sanguinis circulationem & distributionem, necessariam sanguificationem, nutritionem & quarumlibet fere evacuationum ordinariarum continuationem. Propterea operosa studia, arduæ & laboriosæ scientiarum culturæ magis motum humorum ad & intra caput invitant & alliciunt, ab aliis vicissim organis atque officiis magis seducunt, ideoque multas oraxias in regulari vitæ & sanitatis negotio causantur. Quo sensibilia & in laboribus suis immoderatione sunt subjecta, qualia communiter tales sc̄eminae, in scientias flagrantæ, sunt, eo certius tales anomaliae in omnibus fere functionibus naturalibus metuendæ veniunt. Quo minus quælibet subjecta in quocunque opere, præcipue mentis operationibus sibi moderari sciunt & volunt, id

D 2

quod



quod frequentius in sequiori sexu obtingit, eo *magis economia vitalis* afficitur & alteratur. Quo magis feminæ *capite teneriores*, omnibus fere sensibus externis sensibiliores & flexiliores, subinde etiam faciliori *enervationi* obnoxiae existunt, eo magis ardenter studiorum cultura *mentem* & *corpus* earum *affigit*, ut in *sontico* negotio *generationis* graves mutationes oriuntur. Quo magis porro *nocturnæ* lucubrations & conjunctæ multæ & operosæ *vigilie* vires naturales *debilitant*, singulæque functiones ad *ordinarium* vitæ & sanitatis statum pertinentes, *turbant* & confundunt, eo magis illæ arcanum, nobile & celebre negotium *fæcunditatis* alterare, *impedire* & pervertere possunt: quare multi medici ad illius *promotionem* & sublevationem *animi moderationem* commendant, omniumque excessum, *mentem* affligentium, evitationem præcipiunt & injungunt: Quo magis præterea animus *inordinate* officia quædam administrat, nunc *pertinaci* prosecutione, & *moroſa* coactione, wenn man eine Sache zwingen will, nunc *instabili* mutatione, aliorumque negotiorum *confusa* alternanteque tractatione, eo certius *corporis sanitas* læditur & *pervertitur*: quo magis itaque ac frequentius *tolis* indoles in *feminis*, impr. etiam *doctis* deprehenditur, eo facilius etiam *fæcunditatis* qualitas *turbatur* & sufflaminatur: Quo magis cum *ardore* proficiendi in scientiis & pertinaci *philavtia* in talibus feminis *alii* affectus *parbetici*, velut magna indignatio, multa tedia, flagrans desiderium, imperiosus fastus &c. complicantur, eo certius præter *reliquam sanitatis* offenditionem, hæc *sensibilis* fæcunditatis qualitas *alteratur*, confunditur, aut plane opprimitur.

§. VIII.

§. VIII.

Præmissa hac causa *principali*, ad talēm *infacunditatem* corporis disponente, ejusque *generali* influxu in negotium *generationis*, nunc ulterius quasdam causas *intermedias* indicabimus, quæ hanc sc̄ecunditatis qualitatem offendere & sufflaminare solent; *operosa* iraque atque strenua scientiarum cultura *Mensium* negotium, quod cum Processu *generationis* essentialiter & exquisite consentit, perquam alterat & afficit, ut *temperatum* successum & *naturalem* ordinem valde violet; hinc in nonnullis pro ratione *temperamenti*, status *plerorici*, sanguinis generosi nimiumque fluidi ac *biliosi*, diætæ *lautæ*, immoderatorum *animi* pathematum concurrentium, *aliorumque* commotionum intensiorum *sanguinis*, impetuosa & *prodigæ* eruptiones & fluxiones *Mensium* oriuntur, juxta illum nexum & *consensum*, qui inter *animam* & *motum sanguinis* intercedit, quam observationem sœpe diversis locis & occasionibus D. D. PRÆSES explicavit & probavit: In *aliis* vero subjectis, quibus *vasa sanguifera* *exiliora* & *teneriora*, reliquus *babirus* corporis ad *stricturam* & rigorem magis pronus, sanguis subinde *consistens*, pinguior & *viscosior*, ob id etiam *canales* *secciores* sunt, facile intensior, solertior & *operosior* *menis* occupatio *menstruum* fluxum, quoad modum, ordinem & quantitatem ita alterat, ut *defectus* magis illius & *irregularis* successus consequatur: quo *laboriosior* enim animus in *capite* est, eo magis *periodicus* sanguinis motus *impeditur*, avocatur & detinetur, sicut alias ad *sensum* manifestum *strenua* & *assidua* animi operatio sanguinem *intra caput* allicit & convocat, ut *frons* *aestuet*, *genæ ruffescant*, *venæ intumescant*,

oculi etiam *tumidiores* & *splendidiores* siant: inde etiam facilius evenit, ut *ardentior* cultura scientiarum sanguinem *ab utero* magis *seducat* & *intra coput* invitet, hinc *menses tardius*, impeditius, inordinatus & *parcius* succidunt, vicissim autem *menstruis* imprimis *periodis*, si nulla graviora pathemata affligunt, *capitis dolores* molestant, & successivam majorem menstrui negotii *ataxiam* predissequam habent: & haec ipsa subinde *efficacissima* causa ingruentis *infæcunditatis* est, quoniam per effientiam & *naturalem ordinem* hec *menstrua* purgatio uterina, quippe *singularis* occupatio in *officina generationis*, tam arte, exquisite & *sensibiliter* cum *bac* functione cohaeret; quam ut plurimum *ægre* & *perverse* fœminæ, menstruatæ, qualescumque etiam aliæ *huc contribuant causæ*, in facultate *concipendi* & *connexis* actibus multas experiuntur *difficultates* & anomalies, quo *potentiorum* & *celeriorem* efficaciam & *influxum* causæ *morales* in *ceconomiam naturalem vitæ & sanitatis* habent, eo certior & eminentior pariter alteratio *fæcunditatis* naturalis ab intensiori & ardentiori *mentis* operatione in studio litterarum, fœminis alias haud valde familiari, prædicanda & expectanda erit: quando insuper in talibus *eruditis* fœminis *alii* affectus animi pathetici *frequentius* & *potentius* concurrunt, ut antea indicatum fuit, id quod ut plurimum ita accidit, tunc *vis unita* fortior idem negotium *menstruum* facilius & potentius offendit & *pervurbat*; siquidem alioquin *quoridam* observatione ratum & probatum est, nullas alias, quam *morales* causas tam *celeriter* & *efficaciter* Menstruum fluxum turbare posse. Quemadmodum etiam communiter cum *mensum onomalo* statu *capitis dolores*, *congestiones*

anote-

*anotericæ & asthmaticæ pectoris oppressiones concurrunt, ita in fœminis acris, pertinax & strenua eruditio-
nis prosecutio similes dolores capitis & pectoris angustatio-
nes causatur, unde reliqua functiones cœconomiae vitalis
graves patiuntur alterationes.* Quoniam etiam eruditio
fœminis minus familiaris & consueta, in *masculis* autem
magis usitata est, ita in illis hoc exercitium *mentis* facilius
corporis vires & facultates in *consensum* trahit. Sicut por-
ro fœminæ eruditio*n* operam dantes magis de *calido* sic
dicto temperamento participant, aut *aliam meditabundam*
indolem possident, & *cholerico-melancholici* habitus cor-
poris sunt, ita in qualitatibus animi tales fœminæ & *immo-
deratae & pertinaces* existunt, eaque propter etiam in *alte-
randis* corporis functionibus *præcipires*, faciles, vehe-
mentes & *tenaces* sunt, quæ qualitates porro *præcipuam*
illam functionem, per essentiam ad hunc *sexum* spectantes,
videlicet negotium *generationis*, afficiunt & alterant, &
primario quidem *Mensium* processum turbant, dein vero
olios anomolos motus in *utero*, fœcunditati valde *præjudi-
ciosos*, causantur.

§. IX.

Hoc studium Sapientiæ & splendor Scientiæ in fœ-
minis ob varias *alias intermedias* causas *infœcunditatem*
corporis procurare solet, quarum *nonnullas* adhuc adde-
re & indicare allubet: ardor itaque proficiendi commu-
niter involvit & infert tenacem *sedentariam* vitam, cui sub
strenua librorum & scriptorum *lectione* ita indefessè inhæ-
rent, ut ægre abhinc deduci valeant: & dum *alias fœmi-
næ magis desidios* indulgent, exceptis voluptuosis, vagis
& inquietis individuis, ita illæ eo *minus moderamen* in hoc
vitæ

vitæ genere observare solent: hæc *fuga motus corporis*
 multorum *malorum*, *sanitati* valde infensorum, fons, ma-
 ter & origo est: inde enim *sanguis superfua* & *præjudicio-*
sa quantitate colligitur, tardius, debilius & *impeditius*
circulatur, *spissor* illius consistentia invitatur, *depuratio-*
nes ejus, ut & se- & *excretoriae* functiones turbantur & suf-
 flaminantur, *impuritates* coacervantur, *stagnations*, op-
 plementes & infarctus vasorum & organorum excitantur,
Mensum legitimus & ordinatus successus impeditur &
pervertitur, indeque in *utero*, quippe *officina fecundita-*
tis, ob vasorum sanguiferorum *abundantem* & *tortuosam*
 dispositionem & situationem varia *incommoda* alliciuntur;
 si itaque universum corpus quoad fluidas & solidas partes
 adeo eximie & multifarie alteratum & offendit, labora-
 torium autem generationis tantopere afflictum est, quid-
 ni propterea facultas illa *intricata* & *delicata* concipiendi
 magnis & multis *offensis*, *turbis* & *impedimentis*, unde de-
 nique *infæcunditas* generatur, subjici debeat. Hæc stre-
 nua igitur lucubratio in certis subjectis *morbosam pletho-*
ram, in aliis *suspectam sanguinis crassiem*, in quibusdam
 perniciosa *Cacochymiam*, in nonnullis etiam vel natura-
 lem, vel præternaturalem & cacheoticam *obstetatem* caufa-
 tur; quæ *posterior* etiam communiter *fecunditati* in femini-
 nis valde *contrariatur*, ut propterea a medicis illa *præci-*
puum locum in serie causarum, *sterilitatem* inferentium,
 obtinuerit: quæ vero dum in talibus subjectis *raro solita-*
ria esse solet, ita cum aliis *prædictis* causis & qualitati-
 bus coniuncta, eo certius infæcunditatem talem provo-
 cat. Quantam insuper *vim ardor* studiorum in *ventricu-*
lum & hujus functionem habeat, *quotidiana* exempla in
mascu-

masculino, quippe comparete *robustiori* sexu, comprobant: etenim non modo cum excessiva facultatum *mentis* applicatione studiis operam navantes s^epe *sine attentione* & grata appetitione cibum assumunt, ut quoad illum plane *obliviosi* & incogitantes sint, sed & propter idem flagrans studium, quia *incuriose* appetunt, *negligenter* masticant & *oscitanter* ingerunt, etiam *difficulter* & *incongrue* digerunt, *cruditates* congerunt, propterea etiam ventriculum & reliqua digestionis organa *onerant* & *enervant*, unde varii affectus *abdominales* iterum ortum trahunt, qui cum *utero* facile *conspirant*, ejusque *usum* valde *impedient*, imo plane destruunt: inde varia *digestionis* vitia, flatulenta, glandularum abdominalium infarctus, se- & excretionum confusiones, hypochondriacæ aut *hystericae* afflitiones, colicæ molestiae & inevitabiles *Mensum perturbationes* oriuntur. Singulæ hæc causæ porro in hoc sexu atque ordine præjudiciosam & pertinacem *alvi excitationem*, indurationem & *adstrictionem* excitant, quæ vel cum *multis alitis* incommodis complicatur, vel talia plane allicit & *exacerbat*, ut intricatus & *complicatus* status *morbosus* facultatem *fæcunditoris* admodum *pervertens* & *deprimens*, inde oriatur. Quo *sensibiliores* præterea & ad *imbecillitatem* magis proclives sunt *feminæ*, eo magis *vires animi* atque *corporis* ob flagrantem & *operosam* culturam scientiarum afficiuntur & *enervantur*, unde cœnomiae vitæ & sanitatis varia offendicula accidunt, quæ subinde negotium *generationis* valde labefactant, debilitant & perturbant: Quoniam etiam studiosa & laboriosa scientiarum cultura *feminarum caput*, *cerebrum* & *nervos* perquam afficit, ita *reliquorum* organorum functiones *compatiuntur*, unde etiam variae *ataxiae* oriuntur, quæ

E

con-

concurrentibus aliis indicatis sanitatis alterationibus par modo & efficacia fœcunditatis *vexatum* negotium æque offendere possunt & solent. Et quamvis tales causæ non immediate, proxime & directe a fœcunditate *animi* proveniant & fœcunditatem *corporis* hebetant, tamen *vinexus* & *consensus animæ* cum *corpore* tales alterationes in cœconomia *corporis* alliciunt & excitant, ut denique illa *generationis* facultas graves inde offensas patiatur: unde liquet, quam *variae* & *multæ* causæ ad *banc* alterationem *præsentis* argumenti & observationis contribuant.

§. X.

Ex hac tenus dictis & explicatis respectibus Subiecta, statum rei s. observationem, causas, successus & eventus concernentibus, nunc coronidis loco nonnulla *confilia medica*, huc quadrantia, annexemus. Ante omnia autem talibus fceminis *sedata* aut facilis, placida, *moderata* & ordinata studiorum cultura commendanda est, ne *coactio* rigore & *opero* ardore *vires animi* atque *corporis* turbent, impedian, seducant & enervent; quare *moderamen* in scientiarum studio *ordinem* functionum reliquarum *naturalium conservat*, nec fœcunditatis facultatem pervertit & supprimit: *evitanda* propterea sunt *profunda* lucubrations, *molestæ* & fatigantes *vigilæ*, arduæ & nimiaæ *moria* vexationes, *multarum* & discrepantium meditacionum prosecutions, imprimis autem constans *sedentaria* vita. Conservanda rectius *mens* erit in *serenitate*, tranquillitate, flexilitate & lenitate: multum conductus *moderata* & *constans corporis commotio*: alii *adversi* affectus animi arceantur: quodcumque vicissim mentem *exhilarat*, reficit, erigit & ad quamlibet placidam *gratiæ* disponit, id *observandum* & *applicandum* erit: præterea sanitati admodum

modum proficiunt jucundæ peregrinationes, quæ animum ab operosa studiorum, cogitationum & meditationum prosecutione avocant & ad alias sanitati proficuas contemplationes, compellationes & conversationes invitant. Diætam instruant & observent tenuem, liquidam & eupeptam, quæ nec sanguinem, nec alios humores, præcipue autem impuritates adauget, sed quæ chylum parum & temperatum conciliat, sanguinem diluit, organa & canales humectat, se & excretiones facilitat, partes roboret & æqualem humorum progressum adjuvat: excludantur alimenta cruda, crassa, multa & aduersa acida, austera, adstringentia, refrigerantia, cruditates, flatulentias & stricturas alvi provocantia: omnia enim primis viis infensa, Mensum etiam negotio sunt præjudiciosa, quare eruditæ sceminae, quavis sollicitudine caveant, ne undecunque Mensibus aliqualis perturbatio procuretur, quod facile è diæteticis erroribus metuendum est: curam potius gerant, ut sano & modico appetitu victum capiant, in alimentorum delectu non nimis instabiles sint, imprimis ut talia comedant quæ alvinam excretionem facilitant & simul biliosam impuritatem educunt; quo pertinent fructus esculenti dulces cocti: huc spectant embammata & juscula lenientia, herbacea: subinde curam gerant, ne menstruus fluxus aut in excessu, aut defetu, aut ordine, peccet; & si tale vitium ingruit, sine moro illud corrigendum erit, ne cunctatione & negligentia illud in perniciem statum & habitum ruat. Per temporis intervalla adhibeantur Pediluvia, quæ communiter præcipuas excretiones promovent, mensum fluxum facilitant, sanguinis æqualem circuitum adjuvant, fluiditatem illius conservant, caput allevant, congestiones a capite & pectori avocant, placidum somnum conciliant, ideo-



que multis modis sanitatis statui subveniunt. Ad arcendam obesitatem utantur diæta tenui, remissius acidulata, vixum nunquam ad saturitatem capiant, corpus solerius moveant, aquæ & temperati vi- ni potu fruantur, aquarum etiam mineralium, aut acidularum, aut thermarum usum congrue conjungant, sub dieæ leniora diuretica e petroselino, cichorio, asparago, cynosbato, sem, anisi, bacc, juniper, synap, adhibeant; proinde temperata stomachica usurpent, ex herb, & seminib, foeminitis imprimis proficuis, velut menth, meliss, salv, major, thym, rutæ abrotan, bacc, laur, fol, laur, sem, carvi, modico zinziberis; & quia per hereditatem a promatre Eva libenter liguriunt, ideo apta condita roborantia interdum ingerant: Potu etiam utantur dilutiore & temperatori; non refrigerante tamen, nec etiam valde generoso, spirituoso, caput aggravante, molestante & inebriente: Præter hæc interdum mitiora diuretica & uterina pharmaceutica conducunt, velut Essentia Succi- ci, vincetoxici, anisi, bacc, juniperi, melissæ, aristol, rot, cum Spir. Sal. ammon, sociatæ, quæ media aliquando uterus alliciunt: hic pertinent nonnunquam infessus cum herb, uterinis matricar, meliss, puleg, abrotan, menth, rutæ fl, chamom, vulg, aneth, &c. e quibus speciebus parati fatus vaporosi interdum adhiberi possunt. Talia adminicula in tantum eruditarum foeminarum sanitati subveniunt, ut fecunditatis facultatem simul conservent atque roborent. Quodsi denique in iisdem proximior ratio & consideratio urgentis & morbis status plethorici, cacochymici & spissitudinis sanguinis habenda veniat, tunc sine otiosa expectatione & cunctatione congrua eo pertinentia auxilia ordinanda & adhibenda sunt. An secundum Lonicerum in hoc casu & statu Matricaria speciale vim habeat fecunditatem promovendi, experientia consulenda erit. Sed plura huic tractationi addere haud instituti nostri ratio postulat: ideo nunc calamum deponimus, & benignissimo actio- num humanarum directori, pro alma præsentis opella promotione humillimas reddimus gratias, eumque calidis flagitamus precibus, ut singulis nostris laboribus exoptatus contingat successus & salutaris eveniat usus atque

F I N I S.

Nobi-



NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
SALUTEM AC INCREMENTUM PRECATUR
PRÆSES.

Quod Summus justissimusque rerum humana-
rum Rector & Moderator propagationem ho-
minum augere & minuere , uterum fœconde-
re & occludere , aut abortientem reddere &
ubera marcida & exsucce facere queat , id in
Mose , Prophetis & Psalmis testatum constat . Liberi igit-
ur sunt donum Dei ; nec ita fortuito occluditur matrix ,
sed variis intermediis causis justa & divina Sapientia urit
, quibus fœcundas & steriles facere solet fœminas .
Quoniam igitur matrimonium multis periculis & offendiculis subiectum est , quæ generationis Processum etiam
afficere solent , ideo olim ethnici Romani Sponsarum o-
stia aut limina , quibus maritorum ædes ingredi debuer-
rant frugifero unguento , aut oleo obliniverant , *vid. PLI-
NIUS L. 28. c. 9. ISIDOR. L. V. 8.* unde uxorem ab un-
guento , vel ungendo derivarunt , & unxorem vocarunt .
*vid. BRISSONIUS de ritu nupiar. Cæl. RHODIGINUS L.
A. L. 28. c. 17.* Fœcunditas igitur naturalis & multiplicatio
fructuosa progeniei semper & in omni gente in magno
æstimio habita , sterilitas contra eximum dedecus fuit ,
conf. BARTH. Advers. Lib. 32. c. 3. ob id apud Ebræos
poma Mandragoræ venustæ Raheli a Sorore Lea degu-
ftanda exhibita fuerant , ut facilius conciperet *vid. JOSE-
PHUS L. I. c. 28. Antiqu.* licet non sine ratione hoc medi-

E 3 um



um ad hunc finem, quippe stupefaciens & infrigidans,
pro inidoneo declaraverit PFEIFFER *Cent. i. diffic. Script.*
Locor. c. 59. quamvis alii vicissim certa interpretatione &
relatione eorum pomorum utilitatem pro eodem scopo
confirmarint. *vid. Casp. REJES. C E. I. Qu 43.* FROMMAN-
NUS *de fascic. p. 674.* DOUGT. *Annal. Sacr. Excurs. 19.*
Part. 1. Non tamen cum illis consensum inire placet, qui
in ignominiam matrimonialis fœcunditatis, ut MAIMONI-
DES *in more Nebocim Part. II. c. 20.* JAC. BÖHME, *An-*
toinetta BOURIGNON, Job. Georg. GICHTEL in Theosoph.
Send-Schr. P. I. p. 63. 171. Manasse Ben ISRAEL *de Creat.*
probl. 26. p. 69. Et *Council. in Genes. qu. 8. p. 14.* fabulam illam
excogitaverant, quod prima creatione Maris & Fœminæ
sexus in Adamo conjunctus, uterque autem post lapsum
separatus fuerit *vid. GEIER. Comment. in Ps. 139 v. 5.* EJ.
Allgegenw. *Göttes XIII. And. p. 152. sq.* LYRA *in Genes.*
SPENERS *Trau-Serm. IV. p. 33.* ERASM. FRANC. lustige
Schau-Bühne *P. 2. p. 380. sq.* disp. WERSNDORF. *de primo*
bominis statu, & WALCHII *Einleit. in die Streitigk.* ausser
unser Kirchen *P. IV. p. 899. 905.* Hujus fœcunditatis au-
tem & Infœcunditatis naturalis in fœminis diversæ innotu-
ere cause etiam naturales; Posteriorius argumentum pro
thermate selecto Inauguralis disputationis TIBI NOBI-
LISSIME CANDIDATE, indicandum, explicandum
& ventilandum placuit. Posteaquam enim tempore
quodam pro vicissitudine rerum TUARUM, & dilectissimi
TUI DNI PARENTIS nutu, assensu & voluntate Cur-
riculum Academicum ad metam, TIBI TUISQUE placi-
tam, transegisti, inque illo in Theoria & Praxi Medica
variis manuductionibus atque Collegiis utilissimas doctri-
nas laudabili seduloque studio collegisti, ideo nunc in
Patriam vocatus academicis honoribus & privilegiis frui
parti-



particeps fieri cum Deo constitui: de quo nunc faven-
te affectu gratulor, Deumque precor, ut sub firma animi
corporisve integritate, hujus messis academicæ largo fœ-
nore fœcundos fructus capere & colligere queas; ita ut
sub fœcunditate animi, indies magis magisque auges-
cente, ab omni infœcunditate & infelicitate spirituali & tem-
porali salvus atque immunis vigeas, valeasque, de quo
divinæ benedictioni animo corporeque fœcundissima gra-
tiarum symbola & specimina offerre queas. Vale. Dab.

Halæ Magd. XIII. Calend. Maji. A. O. R.

ciccccxliii.

Quis novus aspectus cito se speculantibus offert
Luminibus? quænamque oculis se sistit imago?
Nonne vident formam ter cari semper amici,
Stantis in excelsø Parnassi culmine? Plura
Iam cumulant visum. Nam lauriger adstat Apollo,
Ac divina manus frondenti tempora ramo
Implicat, & simul omne decus laudemque merenti
Imponit capiti, prolem vocat hunc genuinam,
Mausarum plaudente choro, bona cuncta precante.
Nec fallit species animum, nec somnus amœnus
Præteriens umbras in mente relinquit inanes.
Vera rei facies est iam percepta profecto,
Omnia, quæ vidi, sunt viua, manentia, certa.
Hæc TIBI contingunt, dudum dilecte sodalis,
Longus amicitiae mihi quem coniunxerat usus,
Quam primo genuit generis cognatio suavis.
Artis Apollineae studiis TV totus inhærens
Et fontes adiens liquidos, hinc omne salubre
Haufisti cupidus, fugiens incommoda nunquam,
Atque labore gravi minime deterritus vlo.

Jam



Jam TIBI, quos pridem meruisti, dantur honores!
Frons Phœbea caput dignum circumdat & ornat,
Ipsa TVI causa quam nunc Meditrina parauit.
Justa TIBI studii pœclari pœmia dantur
Assiduos nunquam qui destituere labores.
Applaudunt omnes & presso pollice poscunt,
Vt, quos ambieras merito, tradantur honores.
Hinc cum vota ferant cuncti sincera: quis essem,
Si cantus hilares ac acclamatio fausta
Non ex ore meo prodirent, tantus amicus
Cum tantus nostra laudes acquirat in Alma.
Sed non magniloquæ pompæ sublimia verba,
Nec globulos dicti mellitos querere mens est,
Nec nitidos fœtus sperare licebit acuti
Ingenii. Paucis porius nunc appreco omne.
Felix & faustum quicquid reputare solemus
Confluat & coeat, TE Fluminis irriget instar.
Omne revertatur, si quid prorumpere tentet
Teque agitare malum. Labor omnis cedat ut optas.
Ad patrium TE dulce solum comitetur vbiuis
Prosperitas cuncti generis, nec deserat vñquam.
Quorum vita TVÆ curæ mandabitur: illos
Servet & eripiat morti sollertia prudens.
Cumque brevi nostris statuas valedicere terris
Id precor, ut memor esse mei mens perget amica,
Ac animus binus maneat conjunctus & vñus.

CHRISTIAN SIGISM. BECKER.

Medic. Candidat. Opponens.



DA A 6596



1018



17

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
INFOECUNDITATE
CORPORIS OB FOECUNDI-
TATEM ANIMI IN FOEMINIS,

Bon

Der Unfruchtbarkeit

AUSPI
Et Consensu atque Au
IN ALMA RE

DN. D. MIC
SACR. MAJ. REG. BORU
CONSILIARIO, MED
SORE PU

DECANO H.
Domino Patrono, Praeceptore ac

PRO GR.
SUMMISQUE IN MEDI
GIIS DOCTORALIE

HORIS
ANNO MD
PUBLICÆ AC PLACIDÆ

CARL GOT
NOBILIS S

HALÆ M
TYPIS JO. CHRISTIA

